

HERCVLES

SIVE

LABORVM FELICITAS

DEFENSA

A D. Hieronymo Bendando

Sac. Theol. in Archigymnasio Bonon. Doct.


Dum ad Studiorum initium

PROLVDEBAT.



Bononiæ, Apud Clementem Ferronium 1639.
Superiorum permissu.

2



REVERENDISS. PATRI

D. SEBASTIANO SIGHICELLO

Inter Canonicos Sancti Saluatoris Abbati Præstantissimo.



Ircumiuit per aliquot literatorum manus Sol nuper exortus; qui cum eloquentia simul, ac eruditione renideat, visus est dignus, qui etiam è typorum meorum emergat orizonte. Ecce; post paulò natum (Abbas doctissime) & tuis auspicijs. Quàm vero feliciter! In ampliorem .n. girum excursurus, sui ipsius diem producet; nec ante occidet, quàm plurimi sese mirentur, & forsan admirentur. Et si natiuas aliquas contraxerit maculas, à quibus nec ipse Sol putatur immunis, addito sibi tui nominis splendore, totus fundetur in lucem. Persuadebar vt tibi hac lumina dirigerem, quod

humaniorum literarum æquè celebraris, vt cultor, ac sacratioris sapiētiæ cōsultus. Noui etiam Auctorem tui obseruantissimum, quem cum sæpè Collegam tuum audiueris, vel intra ædis Theologiæ laureis orantē, vel edocentē in Cathedris, vti tibi simillimū, cognitus es mutua dilectione venerari. Quomodo dubitasse ergo, ne eius scripta libenter legisses quem vnicè colis? Addo hoc mei in te monumentum obsequij fuisse opportunè vulgatum, ne suspicatus esses, me, meosq; qui Illustrissimo Patruo tuo Episcopo Fauentino dudum inseruire cæpimus, & tibi successiuè multotiès, in nimia officiorum dilatione defecisse. Si votum hoc meum, veluti reuerentiæ significationem accipies, fiet vt ad maiora offerenda disponar. Vale.

Paternitatis tuæ Reuerendiss.

Deuinctissimus Seruus

Io. Baptista Ferronius.

Pos-



OSSEM fortaſſe plenius vobiſcum impendere gratulationis officium N N. quòd hactenus tot itinerum labores emenſi, hùc tandem aduentaſtis incolumes celebraturi Comitia. Imo verò peropportuna mihi laudandi vos offerretur occaſio, ac paria laudationis argumenta ſuppeterent, ſiuè veſtram rei monaſticæ politiam, ſiuè cum moribus doctrinæ concentum, ſiuè denique animos veſtros varijs locorum interſtitijs nuper abiunctos, nunc vnanimi ardore hìc in veſtræ Congregationis regimen conſpirantes commemorarem. Hæc enim omnia, vel etiam ſingula perluſtrare diſcurſu, inuidendum laudis veſtræ foret encomium. Atqui, SOLEM, quem propoſuiſtis hodie ſuſpiciendum ac cõmendandũ (BENEDICTVM inquã) & mihi erit intueri perarduum, & condignis venerari præconijs, prope impoſſibile. Etenim habetis oculi inſolitus auſus, irrituſque conatus eſt velle mirari Solem defixis palpebris, quem cum ſolùm conniuendo ſuſpectet, verius inuiſum ſpeculabitur, quam viſum. Si SOLEM obieciſtis, cur rogo illi noctuam admouiſtis, cui grauius eſt nihil, quàm Solis ſuſtinere conſpectum? Perinde quaſi deeſſent huic Ioannis Euãgeliſtæ Cænobio Aquilæ, quæ viuaciori oculorum acie ſuum Solem aſpicerent? Aut forſan Florentiſſimi huius Parmenſis literarum viridarij verna feracitas heliotropia non tulit, quæ abeuntem quaquaverſum Solem ad occaſum vſque ſympatico comitentur intuitu? Quid ergo ſeligere floſculum, qui incaleſcente meridie flaceſcit ſtatim in veſperali defluuio? Quò ſpectat veſtrum iam penetraui conſilium. Mihi hanc ideo prouinciam demandaſtis, vt in quo nulla ſublucet dicendi perſpicuitas, eiuſdem in opacitate ſtili, atque duritie

ſplen-

splẽdeat magis oppositi radij reflexũ lumẽ. Sic etiã in appẽsa graphide EXORIENTI SOLI FVGANDAM cõsociastis,& NOCTEM,vt per vmbrarũ recessus lux euibrata splendidius niteat in facie tenebrarum. Sit vt vultis: saltem,vt hunc SOLEM exornem,non est opus mihi lumina laudum aliunde mutuari, neque adscitos emendicare fulgores, cum ingeniti, cum proprij satis hic, ac superabundent.

Quàm apposité Planetarum principe Patriarcha noster exprimitur? Sit sanè Sanctorum cuilibet decus suum, & laus: non video tamen, quisnam cœnobitarum æquiori lance comparandus sit SOLI, quàm Benedictus. Nec Benedictus potuit exemplari alio similius configurari, quam SOLIS. Vtriusque attributa Principatus,necessitas, splendor, vnitas pari tenore concordant adeo,vt,quod est SOL inter astra,inter claustra idem sit Benedictus. Sine Sole dictitabat Heraclitus noctem in orbe fore perpetuam: de Benedicto idem ille, qui ante purpuram etiam visus est historicorum Eminentissimus Baronius, inquam ita testatur. *Tempore, quo vniuersa Italia, Gallia, Hispania, atq; Africa à Gothis, & Vvandalis Hæreticis Arianis possidebantur oriensq; pænè totus esset infectus hæresibus; in tam terra noctis obscuritate, densaq; caligine, eiusmodi claritudo lucis effulsit, quam vniuersus Catholicus orbis illustraretur.*

Funestabat vniuersum NOX atra infidelitatis,lumen fidei iam vel occiderat occisorum sanguineo mersum Oceano, vel plurimorum superstitum perfidia tenebrabatur. Charitas ipsa, quæ suis faculis in lucis potest esse subsidiũ, aut cum fidelitate habuit com munem occasum, vel si qua scintilla supererat, in illius NOCTIS algore luminis plerũque perpessa deliquium extinguebatur. Trepidabat ele-

cto-

EIVSDEM



DOMINVS HIERONYMVS BENDANDVS

Anagramma

VENERANDVM BONI HOMINIS SYDVS.



O Quisquis sophiæ lassatus in æquore quæris,
Vnde hominum votis aura secunda fluat,
Hac VENERANDVM aperit versoria SYDVS, & ista
Quæ bona sint HOMINIS dat Cynosura BONI.




FE

FEDERICVS HILLEBRINK

Suo Doctori subscribens, hanc præmittit fidem Lectori.

SIT tandem quæsiuisse satis (mi Lector) incassum diù felicitatem. O quoties indolui tandiù quæsitam, nec vnquam fuisse repertam! Hactenus aut inuisa delusit auidos oculos: aut innaccessa laxauit accedentium pedes. Dabatur quidem mortalibus concupiscere posse, at vacuis semper votis. Eò veneramus, miseri, vt ampliùs felicitatem non expediret appetere, ne inexpleta semper voluntate, fieremus anxietate infeliciores. Videbis mox quot ad felicitatem calles excogitarit auiditas, quotq; delusos ad falsam solùm deuius error adduxerat. Hìc tandem datur inquisita diutiùs, modò frui comperta. Et ò quàm facile assequeris! Non asseruat hanc inimica tenacitas, non negant hanc inuidæ manus, nec remouet eandem infensa difficultas: quippè non donatur hæc, nec ab alio conceditur, nec extra te residet. Hanc, inquam, habebis sine labore, modò labores. Vale. Meliora placabor; labora.


O' deuenit otij iam decurrentis, atq; in deteriùs ruentis sæculi tempestas, vt hominum pars longè maior nulli prorsus disciplinæ vacans, infeliciter indè gerendorum inscia torpescat. Laboris nunc vnicum nomen fatigat adeò multos, vt vel sine labore lassati, illum perquàm exosi deuitent. Timent scilicet, ne ad immaturam approperent ità senectam, vel ad anticipatum vitæ casum, si laborent. Sperant verò ad Nestoreos vsque annos inuidenda felicitate seuicturos, si otientur. Hæc secum, nihil aliud agentes, meditantur otiosi. Et si, quid vltra faciant, hoc solum, laborem vulgo asperitatis incusant, prò otij iucunditate declamantes. Quàm ergo opportuna defensio laboris apud præsertim solertissimum consessum, qui omnium bonarum artium negotio nobiles curas impendit? quàm tempestiuo factum iure dicetis, laborem, quem segnis turba exitialem euulgat, probare vitalem, otiumq; ad mortem vsquè nocuum exprobrare desidibus? Hoc mihi desideratur vnum, vt sicut in titulum gratię fauorabili adestis aspectu, ita dicendis faueatis animorum assensu, nè quos anteà obuijs humeris subiuistis studiorũ labores, videamini nunc à vobis dispares ipsis, eosdem quasi nocentes prædamnare. Ego sane nitar ostendere, si qua est humanæ vitæ felicitas, eam in virtuoso corporis, animiuè labore collocandam; & si quid est, quod mali sit conscium, id infelici otio vitio vertendum. Nec magnus potest labor instare pro labore pugnanti; quòd Aduersarij strati otio, semperq; defessi prò victoria non laborabunt. Fiet quoquè (quod est contentionis in-

 ten-

tentio), vt, si cui vestrum malè suaso susceptus iam ingrauescat labor, encomio sui leniter leuauerit oneratum.

Et quidem in ipso causæ initio vultis cognoscere, Auditores, nullo modo huius asserti pendere fidem? Perparùm, rogo, mecum totam rerum seriem altæ mentis perlustrate scrutinio. Ipsis contrectabitis oculis, tam vltra humanas mentes, quàm hominem inferiorem rerum plebem nihil affectare cupidiùs, quàm operari: núlli bono assuescere gratiùs, quàm labori: nihilq; vel ingratissimum, euitare violentiùs, quàm otium. Atqui hæc, siità erunt, immeritò posthac dabitur dubietati locus, nũquid hominis quoque sit in labore felicitas. Deus igitur ipse cæterorum exẽplar, & origo in suo maiestatis throno nunquam sessitauit otiosus. Quod aduertentes primæ notæ Philosophi, in disputationis agone certauere cõstanter pro mundi, contentorumq; in ipso Æternitate. Rebantur (opinor) si Deus concinnasset orbem incæpto æuo, in anteriori concessa quiete, concedendum etiam otiatum Deum; quòd æquè perhorrescebant, atq; (vt sic dicam) Atheismum. Enimuero non minùs repugnat non esse purissimo actui (Philosophorum noscite verba) quàm cum cessatione agendi potestas. Perinde, ac insociabilis sit sodalitij cum Deo ab operatione cessatio. Perinde atq; ipsum Omnipotentem sacrilegi otij esset de medio ablatura debilitas; quod, cum nil agat, faceret tamen, ne Deus esset, qui non esse non potest. Potentissimam impotentiam! In quod quidem Doctorum placitum concederem & ipse, nisi veriùs pernoscerem, Deum, etiam ante creatorum opus, per immensa æternitatis

sæcula geminos suorum visceerum ingentes partus ingiter edere: Vnum dum interrupto nunquam intellectus obtutu suam ipse contemplatur formam assiduus; Alterum cum flagrantissimo voluntatis impetu inardescens, ad castissimam sui ipsius rapitur charitatem. Idcircò tentabam sæpiùs interpretamento saniori nostris in scholis detincre pronunciatū, quod vbiq; ferè scrupulosiùs audiueram exibilatum: Deum scilicet agere necessitate naturæ. Nunquam, Domini, sum persuasus Philosophiæ Magistros eò venisse dementiæ, vt ita loquentes voluerint, Deum, qui naturæ legem imponit, naturali legi subiectum. Cui non videtur exlex cui visus sit legislator? Qui fecit ergo necessitatis immunes, ipse ineuitabili iure subdetur? Ipse necessitatis mancipium, qui multis suæ actionis elargitur dominium? Prodigalitas esset auara, tantum negasse sibi, idem cæteris effusè prodigere. Duo monstra vitiorum coniunxissent extrema Philosophi, atque prodigiosam chimeram fecissent Deum; dumquè necessitatem imponerent illi, à diuinitate auferrent diuinitatem. Non contendit hoc præfatum scitum; sed illius esto hic sensus: eadem necessitate Deum esse reperies, atq; semper agentem aliquid. Itaq; non deprehendistis vnquam otiatum Deum, quin imò postquam rebus vberta bonitatis fœcunditate inspirauerit esse, operandi quoque plenam elargitus est facultatem, vt suam quælibet iuxta naturam, suum, quàm maximè posset, æmularetur Auctorem. Suspicitis ideò concinnam cælestium sphærarum fabricam, illosquè prænitentium orbium circularis flexus, qui in sui imitamentum Opificis, nostriq; laboris documentum, perpetua circum se se

textura concurſant, atq; irrequieti ſemper, à ſuperis ad ima ſe demittentes, hoc enixè præcauent, ne requieſcant. Neq; vos fugit (naturalium exploratores) quàm perniciofum foret orbi cælorum otium; niſi enim ſolitis circumageretur erroribus, exturbaretur ita conſuetus inferiorum ordo, vt quæ ante alternis planetarũ aduentibus, ex aliorum interitu ſui ortus ſumpſerunt exordia, nullo ex ipſis vltra renaſcituro, intermorerentur. Si quieſceret Heu! Cælum; nullus tùm Ætherei regiminis inſpiraretur influxus; nec vitales exinde ſyderalis curiæ fauores in ſubiecta deſcenderent. Non poſt affulgeret æquali temperamento cor cæli, rectorq; temporum (ſic ſolem appello) neq; ſalubribus illius fouerentur hæc ima fulgoribus; ſed inalternante ſtatu, dum illa radiorum nimietate ſplendeſceret, perpetuas orbi diffũderet mortis vmbras: Aut ſi diù noſtro occuleret Hemiſphærio lumina, in illumina communis exitij nocte, vti mortuales faces ſublucerent ſtellæ mundi funeribus. Hei nimis tunc ſolaris receſſus inuidam moram! Nimis hei diuturnioris acceſſus iniurium ſtatum! Cauete proptereà per vitam veſtram, otioſi, ne, dum otijs confulendum viuacitati putetis, exemplo veſtrum otiari diſcant, & Cæli. Sed enim qui non vultis cum alijs habere laboris concordẽ vortnm, cum pereuntibus perſtringeremini fato communi. Huius periculi iam pridem inauſpicatò conicit omen terrarum orbis, qui ad preces conflictantis Ioſue, cum morantem Solem tueretur inſuetus, luctuoſiſſima tunc facie proprij occaſus veſperũ expaueſcebat in illo meridie. Quã finitima quieti adhæreſcit vniuerſi ruina! Cupitis Auditores mirabile magis defenſæ veritatis in-

iudicium? Considerate quæso minorum orbium attentiùs geminatum motum: illi, quoniam à primo cælo rapti necessitate feruntur in cursū, ne videantur cuibrari rectâ coactè, spontaneum circulum ad latus moliuntur obliqui. Cernitis, vt plena fide attestentur, & Cæli in motu maximum esse bonorum? Quis non videat etiam in testimonij suffragium elementorū venire compagines? Hæc cum a primæ confusionis commixtione distinguerentur; iugabili statum societate fuere connexa; Videlicet, vt vno semper humore contraria inirent nunquam inducias, sed incessanti discordia quodlibet concorditer cùm inæquali suam seruaret æqualitatem. Quodsi, ex illis alterum aduerso cederet inultè, natura rerum inobseruata efficientium methodo, in prisci Chaos facesseret turbamentum. Quod tunc animantium præuidetis fatum? Hæc sanè in vnius elementi perderentur victoria. Aut enim prædominanti necarentur algore; aut immodicis perusta caloribus orbem incolarum orbitate facerent vastissimum. Propterea inter lites, & rixas initiū rerū omniū, & vitā assignabat Empedocles. Placeat parumper, Auditores, à continuo illo sydereæ reuolutionis excursu, elementorumq; agitatione frequenti, ad vitam viuentia diuertere. Isthæc in laboriosa operatione ita reperietis industria, vt id cōsiderantibus vobis conciliandus sit cū reuerentia stupor operosissimæ Diuinitatis, his adumbratæ simulacris. Et vt reticeam præstantiora animalia, quibus efformandis naturæ molitio plus virium dederit, & solertiæ; vnius (vt miremini magis) labores APIS, & in agendo sedulitatem breuiter percurram. Apum igitur vbi primum in examē coiuerit virium

iam

iam incrementis roborata iuuentus, per amæna pratorum, ſiluarumq; vireta diſcurrens, innoxio delibat attactu flores, exhauſtumq; ſuccum breui in mella liquandum ſocialiactionis aſſenſu, concordiq; laboris animo aſportat ad alueum. Stuperes, cum in extruendis fauis, quibus faueant fætus, iniuſſa accurrerent omnes feſtinatione; & dato cuilibet ſingularis officij præcepto, cum ſuo quælibet operi vacaret intenta. Mirabile viſu! Diceres equidem, quamuis illarum artificem natam; & dum vix docilis videtur, mirareris tamen elaborati miniſterij magiſtram. Sin operoſo populo videant cõſociari fucos, qui fruſtra feriantes congeſtum deuorent alterius alimonium, quanta ſeueritate euaginatis irarum aculeis inſectantur prędones! & ne videantur ſocordis vulgi, aut gaudere commercio, aut otioſorum tolerare rapinas, imperitos fucos, ignauoſq; mulctant cæde, vel exilio latrones. Equis igitur promptiſſima non ſubſcribat atteſtatione, laborem eſſe illud commune bonum, quod omnia concupiſcunt? felicitatem inquam? In hunc ingenito rapiuntur onere inanima; Hunc perurgenti quærunt appetitu ſenſata. Iures ergo, ibi latere bonum, quò omnium noſcis ſpectare conatus. Addite vos (Philoſophiæ conſulti) addite illa veſtris ſæpius decantata Lycæis aſſerta, quæ publico omnium approbante ſuffragio conuincunt, quidquid eſt, eſſe ideo, vt operetur. Cauſarum quoquè tot genera, viuentiumq; tot organorum varietatem eſſe in exercitij gratia, tumq; ſuæ perfectionis accepiſſe plenitudinem, cum ſui quodlibet operis venerit in executionem. Et ſi tantiſper à vobis me diſcedentem permitteretis intrare Porticum, referre huius ſectæ parum

à vestris sensus absimiles. Stoici in totius boni culmine extulere facientem, adeò vt efficiétis antonomastico nomine Deum intelligerent, qui verò iaceret semper cessaturus, nemo moueat, prò materia sine mente despiciebatur, in qua omnis origo mali delitescit. Quid, quod pleniori ore asseueret Philosophia, quàm in mundanorum ordine nihil otiositatis extare, nisi à natura degeneret? Operatio itaq; & labor superis, inferisquè peroptabilis, omniq. virium nixu quæsitus, soli homini detestabilis erit? Homo, qui Dei, aliorumq; creditur medius, neutrius extremi participabit ingenium? Laborem necessitas ingignit inanimis, natura ingenerat animantibus, Intelligentijs vtilitas suggerit, eundem ratio non persuadebit hominibus? Quod cunctis ex voto contingit, vnum infelicitabit hominem? Si quis hoc dicat, conuincitur pænitere se esse hominem. Non est, non herclè, sine labore felicitas; quod sepiùs etiam aiebat Euripides, cuius quidem auctoritati, Auditores, est vel iniuratæ credendum. Ne putetis Sorte felicitatem accidere, à cuius firmissimo statu, instabilitatis semper rea Sors exulauit. Felicitas fortis infidelitate concessa redderetur infelix, quod festinata rapiditate pernix, sui ipsis anteuolaret accessum, & vanescentis præsentiæ varietate transfugeret. Quomodo nãq; lubrica detinebis, nisi apprehensis ficulneis, vel aspero simili? Fortuita felicitas perquam lubrica est, & à mollioribus manibus præcipiti properaret celeritate discessum. Callosæ manus, & quas laboris iam obdurauit frequentia, retinebunt tenacius. Quid mirare? Vis ne firmum consistere, quod fortis volubilitati nitatur? Vacillãt semper inædificata, ni ruant. Quid-

Senec. epist. 65.

quid

quid inertibus videbis accedere boni, semper crede damnosum. Equidem cum infortunium non raro speciem ementiatur prosperitatis, tunc certè suspectam crederem, cum ignauis confertur indebita. Hac euim dat lege, fortuna, vt extorqueat inexpectata seuerior. Proinde indolescimus, Domini, adhuc Prothoparentis Adami beatitatis amissæ. Ipse (si nescitis) vbi factus est homo, nullo præeunte labore, felicitate donatus, celebrato illi voluptatis horto præfectus est. At quia felicitati nullo partæ labore solent inuidere plurimi, adfuit idcircò Adæ capitalis hostis, qui fraudulento semper argumento versutus, technas, dolosq; ferens, delusum Patrem innocenti illa fecit priuari voluptate. Scitis, cur tam de repente miseranda catastrophe Tragediā absoluerit Adam? Quia prò illa non laborauerat beatitudine, quam gratuitam, quàm fortuitam acceperat. Nimirum, vel intuta felicitas, quam labor non tuetur. & nisi hac sitis ratione contenti, addam & aliam. Ideo ex florentissima vita in afflictam esse deiectum, quia, cū ibi positus esset, vt operaretur, otiatus est. Amisit miser otiando, quod erat agendo retenturus. Creditur nempe ad auram meridiei obambulasse, dum titillantis Fauonij solent efflantes animæ eblanditam quietem impetrare; dumq; canora sæpiùs susurrantis aeris modulatio ad aures grato crepitaret appulsu, facilis coniectatio est, eiusmodi pellectum inuitamento, paulatim indulsisse requiei. Quia verò vix dedimur otio, cum sternimur triumphati, meditor, tū ad fontis alueos herbescēti stratos amictu, arborumq; consitos opacitate prostratum Adam. Attendas, obsecro, quàm cæteroquì piam paradisi voluptatem, impia

pia corrumpat otiositas. Iacebat (forsan) segniter Genitor, cuius naribus omnigenus blandiebatur halitus florum. Placidus amnis vndas conuoluens argenteas, lenesq; defluentis aquæ susurrus lusciniarum garritui miscens, harmonici concentus suauissimas leges expromebat cubanti. Nec defuere delitiæ, quibus detineretur quiescentis aspectus, quibus cubitus produceretur in longum. Circumstabant (arbitror) perpetua amænitate vernantes plagæ, quarum decor minimus erat versicolor plebs flosculorum. Augebatur venustas à pomarijs quorumuis fructuum copiæ feracibus, in quibus pendula suspexit poma, Hei memoriam! quę, vel solum visa, gustui dulcescebant. Ex desidioso oblectamento in auidam nimis vergebat esuriem Adam, quasiq; famelicus vetitos tandem vorauit fructus infelicitatis. Nimis heu, nimis infelix otium, si etiam in voluptatum officis paradiso! si etiam in ipso felicitatis sinu, tristissimæ sortis machinaris infernum! Ecce tibi initium desidiæ finire beatitatem, quam sine labore prælibauerat. O desidia quàm noxia semper! Non solum non comparas quicquam vsquequaq; inutilis, sed comparatum, sed collatũ damnosa disperdis; & (quod miserabilius est, quæ ad honestum sunt facta delectamentum, in tuo crimine oberunt dehonestata. Non est, quod repetam sæpius, sine labore felicitas. Quid videor audire? Dolentes ne (viri) querelas iratas in Genitorem effunditis, quoniam se, vosq; Gnatos hæreditariæ felicitatis iure nudauerat? Parcite Patri, licèt erranti, nec cumulate conuitijs misero mala, summa nãq; pęnarũ est sola miseria, supremumq; genus est infortunij, nuper fuisse felicem. Cohibete tantisper iras, &

obſeruate, quàm faciat miſeria ſolertem, quem inconſultum fecère delitiæ; quamuè reuocât ad conſilium aduerſa, à quo proſperitas exularat. Oberrabat actus in exilium Parens, & quaquà flecteret verſum, fonti minabantur ærumnæ. Sui ipſius tunc pænæ miſertus, nepotumq; futuri damni pauidus anxiè, excogitauit alterius felicitatis inuento primæuæ ſortis compenſare iacturam. Prouidentiæ præceptis erudiuit egeſtas, quem præcipiti ſenſu ſeduxerat copia bonorum; dictauit, quonam cõſuleretur modo pænali vitæ miſeria: quomodo teneretur felicitas, incurioſa voluptas non edocuit. Scire cupitis, quid tot malis torqueri coacto occurrerit prò remedio? Quid cõſultanti oblatum ſit prò leuamine? Labor. Laborem primus inuenit, quem relinqueret Natis, cui inuiſurus nemo eſſet, nec poſteritati rapturus. Labor dulciter obſonabat panem, quem cæpit in ſudore vultus ſui comedere. Suauiſſimus labor, qui valuit ſolari memorantem lautiores epulas! Quid ni dicas feliciſſimum, qui beatiſſimi ſtatus exequauit amænitatem? Falluntur ideò, qui perinde conditioni miſererentur humanæ, deplorant illud ſacri Vatis infortuniorum elogium. *Homo naſcitur ad laborem*. Credunt porrò in ærumnalem vitam relegari naſcentes homines, vt primi ſceleris noxam laborioſi ſudoris luerêt affluentia: falluntur (mihi credite Viri) fauet parti meæ hic auſpicato decantatus hymnus. Valet idem dixiſſe hominem ad laborem naſci, atq; ad felicitatem. Vnam quippè naturam duo ſibi hæc nomina fecere communem. Si labor loqui, ſi appetere poſſet, ſolam vocaret felicitatem, & hæc ſoli reſponderet labori: adeo vnione ſimul indiſcreta coniuiunt. Addite, eodem

con-

consilio vaticinari Prophetam, Hominem nasci ad laborem, quo statim subdit, ad volatum nasciturum auem. Quis autem obijciat auem, in volatum procreari tanquā in malū, in noxiū? Nanquā sanè lętior auis, atq; ab insidiantis aucupij dolo securior, quàm dum remigio pennarum in æthere sublimata, ibidem velificatis alis innixa diuersatur. Videtis quàm præstet auibus euolare? Quidni homini laborare conducet? Nisi audeant in tam elimato hominis artificio, in elaborato inquam miraculo, inuidi victrici inculpare factorem, quòd auem tanquam filium in bonum, hominem verò, vti priuignum progenerarit ad nocuum. Tunc sanè miserandum hominum genus! Indignum certè quod speciosissimi corporis induat effigiem, qua conditoris exemplar adumbret, si vilissimę sortem est inuisurus auiculæ. Non tam in lætitiam fusus Plato sibimet gratatus esset, quòd natus esset homo, si optabilioris fortunæ alitem dignouisset. Probè norat quanti faciendus esset labor sapiens ille, qui vltimum vitæ mox efflaturus suspirium, testamento, quem vnicè diligebat filium, per insigni omnium copiarum genere fecit exhæredem. Rogatus cur tanta rerū, qua affluenter exuberabat suppellectili, natum orbasset; respondisse fertur. Non nego hæreditatem filio, quem cariori reddam pignore ditiorem; relinquo vnigenito laborum meorum æmulationem, omne obtinebit bonum, si laborabit. Viden, vt vltimum appetendorum labor ducatur? Opponeret fortassis otiosus, Patrem illum mortalis odij stimulis in filium ita testatum, vt vicarium vindicem subrogaret laborē? Arguitur vt inhumanus hæc ita cogitans, hoc enim vno inter mortis mæstitiam decedunt solamine Pa-

tres, si habeant in qua superuiuant sospitam sobolem. Fuit ergo non inuidiæ, sed hortamentum amoris suggessisse laborem, abstulisse diuitias. Audiui sæpius generosi spiritus virum, qui naturæ succensens, querebatur, quòd sibi parcior non dederit tot oculos, quot Argo, tot sibi lacertos, quot Briareo liberalior Poetarum tribuit concessio. Cupiebat enim, vt si quando studentis vigorem sopor laxaret, parsq; vincenti somno cederet oculorum, cæteri perdij, pernoctesquè studiorum excubias alternarent; aut si quadam lassitudine brachia fatigarentur, reliqua incessanter exercitium obirent. Expertus, scilicet fuerat, se tūc solum vixisse felicem, cum laboraret.

Desideratis Auditores, apertius felicitantis laboris claritatem inspicere? In damnosissimi otij mox obijciendis vmbris parum sustinete conspectum. Non est bonum, siue illud dicatis corporis, siue animi, vel fortunæ, quod non prædetur ignauia. Quid sit allaturum detrimenti corporeæ saluti, inuocati medicæ artis testabuntur aphorismi. Humano nempe corpori instillatum virus putatur otiositas, & somniculosi de vita, ferunt, iam conclamatum. Inficit namq; sedētem stupor inertiæ: molestè desidia lassat quiescentem, & laborum imperitus marcescit inter ipsos quietis blanditus. Dum iacet corpus, deprimitur nullo grauatum onere, torporeque sensim arescit; & nisi laborum irroretur humore, breui labat spatio absoluta mortalitas. Adstipulantur longo rerum experimento firmatis medicorum decretis, maturæ quoque eruditorum sententiæ, qui passim cum morte otium, cum vita laborem comparauerunt. Diceret morum egregius reformator Seneca, otiosum non si-

bi

bi viuere, sed turpissimè somno. Menandro iners visus est febricitante miserior. Latialis facundiæ Parenti Tullio, qui nihil ageret, penitùs videretur non esse. Quomodo enim viuere affirmes, cui quidem nō est causa viuendi? Qui nihil vita peragit dignum, tumulatis similior est, quàm viuis, nihil enim morti similius, & tumulo, quàm otium. Seneca epist. 6.

Quid his responderet obiectibus mollis cuticulæ curator, qui laborem aufugit, ne consumptis inter agendum spiritibus emoriatur? Tacebit, opinor, ne laboret excogitando responsum. Quod si solo negationis nutu renuat, suscipiendum laborem, quòd præcox ad senium ducat ante iuuentam: testor nomina reuerenda Plutarchi, qui accuratiùs obseruat, contrahi senium, & cariem in otio, & vitam sedentariam non corporibus modo, sed animis quoq; conciliare marcorem. Non tam pestis, cum grassanti inualescit clade, de mortalibus malè meretur, quàm illætabile otium. Ab illa solùm extinctos homines lugemus; per hoc ipsa regna deuoluta queruntur Politici, cum ad vnius Sardanapali socordiam intendant; quas quidem mundi ruinas lamētatur Catullus.

Otium, & Reges simul, & beatas
Perdidit vrbes.

Hinc nullum inter legum Auctores inuenies, qui à sua Republica non vellit extorrem ignauiam; quandoquidem, vt, vel venustissimi corporis formam dedecorat putridum membrum, ita compositam ad felicitatem vrbem indormitans plebs deuenustat. Propterea Solon ineptè quiescentes crimine notās, si deprehenderentur, ipso facto accusantibus decernebat obnoxios: Docebat scilicet, inertiam inuictissimum

fore

fore hostem, non extra, sed domi, sed in visceribus, qui pigritantes adoriens ineluctabili premeret obsidione. Timebat intestinum hostem, licèt nō vrbium mœnia concutiat, non elidat septa castrorum, quamquàm non expilet opibus domum; cauebat inquam, id quod ipsos sine pulsu arietat homines, quod euirat turpiter viros, quod deformat sexus dignitatem, quouè decor omnis, vigorq; sexus dehonestatur. Legislatoribus verè excellentior Plato, vt in sua Republica contemplantium Ciuium concors expediretur facilitas, omnes Ciuitatis actiones in communem felicitatis participationem direxit. Aequè singula omnibus, ac omnia singulis statuebat, vt in eandem concurrentes laboris contemplationem, æquali omnes fruerentur tranquillitate. Putasne, Platonem permissurum otiosos, qui Poëtas exclusit, nec suo quidem indulgens Homero? Si rogares, cur tam inexorabilis releget Plato Poëtas, qui, alioquin in omni laborum genere exercentur; & in quos alibi laudes omnes aceruatim infundit: ab eodem instrueretis, quia quod laudabilius, inquit, in Poëta dignoscis, est imitatio, cui totus incumbit. Imitator verò solùm factorum exprimit imagines, ipse non facit. Heroicæ virtutis formas effingit quidem; ipse tamen quod simulat non operatur; & dum vmbris verum ementitur, inquè simulacris agendis moratur diutiùs, post longum laborem summa erit operis emeritum esse, peregisse nihil. Factores quærit Plato, non factorū imitatores. Romani in omnia Deorum genera, religione conspicui, Deos illos, qui homines in aliquod viderentur exercitium impellere, inter mœnia receptos piè colebant, ita vt Roma plena Deorum prædica-

De Rep. 10.

caretur. Vni verò Deæ Quieti, non est Romæ locus inuentus. hoc; puto, consilio, ne ciuibus inspiraret incuriam. Pauebant forsan, ne quicquid plurium seculorum bellicus labor parasset, vnius diei disperderet quies; neuè viros, quos constans Aduersariorum roborauerat virtus, debilis elumbauerat otiositas. Memorate Aphricæ domitorem Scipionem, qui ferocienti Populo imperterritus semper, cum nullus tamen esset, qui absterreret hostis, otio territabatur, quod nouerat, id valens quoque triumphare victores. Quem non facit periculum Annibalis cautum? Tot ille euicerat, quot inuaserat Populos, tot clarescebat palmis, quot præmia confecit; attamen eius in castris semel admissum otium, hospitem suũ tot exercituum Triumphatorem eneruauit, expugnauit, subiecit. Dcierarem A. A. Mortem in nostri generis pactam cum otio, vt hoc dissuadente laborem, inde quiete debilitati homines non sufficerent vitæ tutamini; ipsa verò improuisa falce nulla sibi obluctante defensa frequentior detruncaret imbelles. Quid plura commemorem? Appello vos, quos prætereuntis æui non præterit memoria, historiarum loquor studiosos; recensete vos mollissimæ quietis ingentia mala, suggerite stolidissimi otij infensissima damna. Quamnam vrbem deploratis euulsam, quæ supra mollitie iacentes non corruerit? Cuiusnam Regni condoletis occasum, quem vmbratiles stolidorum accubitus non induxerit? Audi hæc negligens vulgus, & in posterum iniusto tempera questui, si vrgeat pauperies, si vexet miseria. Nec exprobres fortunæ liuorem, si vix tibi vitam mille occidentem mortibus permittat; neq; sydereos cœtus quasi tuis aduersatos votis,

inq;

inq; tuam coniuratos perniciem crimineris: omnis quippe mali sola conscia, atq; vnicè ministra req ies. Hæc cæteros inter morbos primum sibi vendicat priuilegium infortuniorum; in hanc ergo solam maledicta eiaculetur inuita patientia. Quid porrò crederes Otiose (Terentij sunt verba) dormienti tibi confecturos Deos? Nihil hi, nisi mercedis titulo, contulere nobis, qui multum gaudent spectando cum labore luctantes. Solum luctum præbuere gratis, vt flere possemus, cum accidiosi ærumnaremur. In cassum aurei seculi attendis reformationem; non illa rerum omnium affluentia, nō posthac passim vel non quærenti occurret; à folijs dudum stillantia mella discussit indignatus Saturnus, quod tulerat ægrè veterno sua regna torpere. Nimis habes nimis, si vitam; nihil tamen tibi profuturam habenti. Et o illud vsui mandaretur indictum, *Qui non vult operari, non manducet!* Equidem cum fame saltem laborares Ignaue, tua forsan fames solertissima foret, & dares adagio locum.

Ingeniosa fames omnes excuderit artes.

Quàm vellē illud quoque Ciri placitum impleri, Homines, qui sibi libenter nolunt labore prodesse, esse abigendos imperio, vt aliorū coacti seruiant cōmoditatibus! O in nostrū etiam veniret vsum, quod iamdiù

Apul. in Florid. prò lege fuit Indorum! Tunc posita mensa appositis edulijs conuocabantur iuuenes, & qui nihil, quod fecisset, afferret, impransus ad opus foras extrudebatur. Cur propterea dissimulatis inulti vos Latores Legum, vos Vrbium Rectores otiosorum facinus? Quid in feriari semper consuetos non animaduertitur? Vbi nam seueriori opus est iudicio, quàm vbi in

omne

omne nefas in procinctu præceps ruitura est pigritia? Date frænum impotentissimo otio, & fiet indomitum vitium. Cur saltem non depauperatis otiosos? Præstatis otiandi illecebram, si bona sperare licet sine labore, & retinere possessa. Condemnat seipsum tanquam omnibus indignũ, qui laborem recusat. Quid ergo suo iam damnati iudicio pœnam differtis? Omnibus est expoliandus bonis ignauus, cum nihili proprij, sed sit alienæ rei possessor iniustus. Quo enim titulo suum dicet, pro quo non laborauit? Ecce vobis ingenuè confitentem sapientem, se nihil habere, prò quo non laborauerat: quale, inquiens, istud bonum meum est, quod industria, scientia, exercitatio mea non peperit? Restituite laboriosis omnia bona, omnia illorum sunt, & congruunt, debenturq; felicibus. Quòd si pro sui tutela diues iners fortunæ donantis sibi proferat indulgentiam, instantiam oppugno: quoniam fortunæ iura sunt nulla, leges nullæ, nihilq; donationis pacto confert, sed mutui, sed pignoris. Emendate, inquam, Moderatores orbis huius fortuitæ elargitionis errorem, illiusq; morantes accelerate redemptiones. Secùs si diutiùs tolerabitis socordem ditescere, fortuna tandem vobis æquior, quem immerita fecerit largitate felicem, faciet compilatrix paupertate tristantem: & ne semper videatur consilij impos, auferet tandem quod vos iniquè permittitis, quod ipsa indignis cæca contulerit.

Lips. lib. 2. ad Stoi. Phil.

Dũ hæc iusta imprecor otiosis, vidētur mihi sua ipsi iactare solatia, sibiq; blandientes ita submurmurare. O quam iucundum laborum vacare periculis! Quàm suaue in tranquillę quietis sedere tutamēto securum! Procul hinc tristes, procul abite labores: procul hinc

vestras deportate molestias. O hæc dixissent Heraclito! Seposito herclè parumper planctu risisset, nec omnia ei deploranda fuissent, si audisset hæc irridenda narrantes. Cum quibus tandem hæc tam inepta proferunt? Nempe nobiscum, qui licèt non omnia afferre vellemus incommoda otij, scimus amplius, Lernam esse malorum. Quæ quies, quæ torquet laborioso fastidio tibi concreditum corpus? Suis nè caret laboribus otium? Intuere, rogo, iacentem: nonne dices fatigatione languentem? Quid, quod laborem molestæ acerbitatis inculpant, qui vnotenus nomine est asper? Timiditas, mollities, somnus, & si quis est alius sessilis vitæ morbus, fecerunt laborem asperum. Nulli, Auditores, nisi laborare nolenti recrudescit labor; lubenti verò, & suo labore contento gratissimus est; Expertus loquor expertis. Ipsi vos scitis, quã consuetudine sua fiat iucũdus, quàm in vsu proficiat ad dulcissimæ voluptatis præmium. Ex hoc vno deducant laboris dulcedinem; etiam peractus iucundissimus est, etiã illius memoria dulcissima, iuuat etiam meminisse transactum. Perpetuo à molestia se diuortio subducens labor, cum voluptate indiuiduam permixtionẽ iniuit; sunt etenim eiusdem partus geminæ proles, enascentes simul, simul intereunt. Tamdiu frueris, quamdiù laborabis; labore cessante, in ipso tristaberis otio, nisi laboris præsenti memoria delecteris. Verum tamen est, quemquam sponte laborem sumere necessum esse, ne imponatur inuito, ne ferat necessitate fastidium. Magna siquidem virtus est voluntarij laboris, qui ipsius violentiæ patientiam leniorem efficiet. Quocirca si premat labor interdum, & vrgeat; præmas, vrgeas, & ipse labore, quod labor

labore vincitur, & cõstantia hoc præstat miraudum, vt patiens generosa apathia fiat impassibilis, aut saltem mitescat passio, ne sit ingrata laboraturo. Quid non cogit quantuluscumque vsus rei etiam molestæ? Arduum ad mediocritatis temperiẽ reducit assidua exercitatio, & (quod ipse vis crederes) mutat potentissimè naturas rerum in melius magica sedulitas. Vis huius dicti fidẽ auctoritatis teste firmari? Esto Mithridates, qui frequenti venenorum potione corpus tutatus es adeò aduersus venenum, vt illud alioqui nocentissimum tibi redderes innocens, etiam cum mori volebas. Vsus nimirum obtinuit, vt prò alimento gustaret Rex ille quod cæteris extremum est vitæ nocumentum. Si iuberer laboranti viro ad ferre consimile; proponerem Hydram, quæ intercisio corpore erat validior, cui nec vita productior, nec poterat esse securior, quam ex mortibus. Nam inter capitum, membrorumq; cædẽ tota ferè resecta viuacior mortali cum ferro certabat. Ab ipso vulnere cruor emissus nouos vitæ spiritus immittebat, & per mortem vnam, vitæ multiplicatæ crescebant. Si Hydra videtur vobis spectrum horribile, recordor Antheum, qui in palestrico ludo, dum luctæ labore caderet fessus, robur sumebat ex casibus. Dabat lassitudo vires; dumque credidisses iam agoni cedentem, vidisses illicò vegetiùs assurgentem attentare victoriam. Sic inualescimus laborantes, ita reficimur, quia detrahit se ipsum operanti labor, & contra se nitentem corroborat. Quàm itaq; intolerabiliter errant, qui labori molestiam, qui otio delectamenta consociant; Verè insomniorum illusos dicerem laruis, qui dum in plumis volutati stertunt, credunt se felicitari, cum som-

niant. Infida est somniantis fides, qui inter somnia sibi læta confingens, cum expergiscitur, mæstissima contristatur fallacia. Mæstis crederem potiùs esse delectandum somnijs, quàm lætis, quòd post mæsta nobiscum congratulamur deceptis; lætorum verò sepè repræhendimus infidelitatem. Heus quandiù isti indormitabunt Endimiones, & perindè ac mandragoram ebiberint, stoliditatis letargo sopientur? Non valebit ergo rerum omnium inquies agitatio excitare quiescentes? Illa ergo Cælorum indefessa vertigo, rotantiumq; stellarum sonorus excursus non exciet illos à somno. Et volucres per æthera venti, qui morarum nescij instantibus ictibus volunt omnia motare, immobilem linquent leuitatem inertium? Cogita defes (nisi etiam cogitare graueris) cogita, An Deus immotus alioqui, requiescat? An immensum licèt firmata per statum Æternitas, percurrentis motus dedignetur imitari successus? Et si in tam celsa mentem eleuare non potes, suspice solem, an procrastinatus vnquam mora suspensos denegarit aduentus. Si adhuc isthæc te non moueant, moueat tempus, quod præfestino vegetans cursu, atquè irreuocabile fugiēs, cubantium citiùs durationem absoluit. Caue ergo huius breuitatem, pertimesce celeritatem. Qui modò iaces funerato consimilis, voles forsan inciperè vitam laborando, cum iam interfluxerit tempus non reuersurum. quia,

Silius. ——————— *Currit Mortalibus Euum,*
Nec nasci bis posse datur.

Tunc factas per trita momenta iacturas agnosces, quando amissi temporis nō eris vltra redemptor opportunus. Morieris miser, nec te vixisse habebis vnde testeris.

Sed

Sed deseramus eneruatæ vitæ cultores, quòd satis arbitror, erit illorum tot mala exprobrando nou sfe: ad laborantiam felicitatem lætioribus verbis præparetur accessus.

Si inducerem (Eruditiss. Viri) supra ducētas octuaginta de felicitate sententias, quas fuisse monuit, quē nihil latuit sapientiæ, Augustinus; nullam audiretis, quę nō desideret prò suæ fruitionis nectare laborem. Si campi tibi describerentur Elisij, quos composuerat sibi felicitatis humana cupiditas, ac cuilibet promerenti debitas impertiuerat partes: audires omnes, quos conficta dixit opinio beatos, in labore consumare delicias: audires, inquam, Platonem per Cæli latibula curiosum suas sedulò disquirentem ideas. Suos ibi multiplicaret numeros Pythagoras, nullius vltra cultor silentij. Deuoluentem studiosè spheras demirareris Archimedem. Videres Euclidem in mēsurarum spatia digitos sæpè laxare. Circumuolantibus sine quiete Atomis occurreret circumfusus Democritus. Caneret Homerus Græcorum, Teucrorumq; labores sollicitus. Orphæus, Arion, Aristoxenus accurrerent festini aurata testudine flexanimum modulantes concentum: & inter celeres digitorum motus laborioso melodiæ concursu plenitudinem cunctisonæ voluptatis exprimerent. Tota denique fruentium felicitate delecta multitudo, in alicuius operationis negotio se beari contestaretur. Non est, non hercle, sine labore felicitas.

Superest ne adhuc, qui suasioni nostræ neget induratus assensum? Ipsum interrogo. Quid nos, quibus paratur felicitas, in ipso natiuitatis exordio illacrymamus? Nondum vitæ conscij, & iam eruditi lacry-

mus prænuntios infelicitatis vagitus emittimus. An num futuram prosperitatem præsentes inaugurant lacrymæ? Cur inquam nascimur flentes? Si mihi ita quærenti mutescat otiosus, etiam verbis avarus, ipse de meo dicam: ideò deflet nascendo infans, quod iam tunc impotens animo, viribus imbecillior laborare non potest. Et quamdiù tarditate virium prohibetur ab opere, tamdiù producit eiulatus, frequenterq; felicitantis laboris deplorat ingratas moras. At postquam absolutus à fascijs in corporis plusculum robur euaserit, intermisso planctu, diuturnioris quietis impatiens, corpusculum vergit hinc inde citissimus, & in illo rudis adhuc artis, imperitęque operationis vsu lætans, gestiens, ridēs, conuincit inficiantem in exercitio degustari voluptatem. Erubescat iners dedidiscere: atq; quod infans non erranti fecit instinctu, pudeat, quod dictat ratio, adultum omittere.

Contendit ne quis vnà cum Epicuro, & Simonide felicitatem agnoscere pro parente diuitias? Habuisset illam Cræsus: nec cum multiiugis diuitiarum copijs afflueret, de sua felicitate dubius ad loquacia Phœbi antra augurem Pithium legasset, sciscitaturum quis esset Cræso felicior? Nec ex tripode responsum esset, Aglaurū in angustissimo Arcadiæ angulo prædiolum proprio exercentem labore, Cræso feliciorem. Felicitas in diuitijs? O miserè deceptos Cynicos, qui nudi, famelici, vacui rerū omnium, vobis contenti solis deliciari iactabatis! O iniuriosam nimium paupertiem, si ærumnosæ nuditati, etiam dolos annectis! Darem tamen vltrò felicitati humanę opus esse diuitijs, licet Stoicorum dogmatibus refragari me scirem, qui nullum admittentes bonum præter animi, in nuda

dâ virtute, in solo honesto beatè congaudent. Decem, inquam, diuitias pondus addere ad felicitatis hanc lancem. Atqui, nec Epicurus quidem diuitias quærenti quietis suasor esset, sed præ cæteris vnum intimaret laborem. De raris namq; prætiosisq; rebus ita natura disposuit, vt præclara quæq; trans asperum asseruata callē lassarent trepidos pedes. Si quicquam splendidum audes, nisi neruis omnibus pertinaciter instes, casso citò conatu, quod quæris non consequeris. Hinc est, vt videas cuiuslibet præmij exsortem ignauiam. Non est citra laborem peruium auri, gemmarúq; lucrū, sed transponenda sunt maria ad emersi Solis vsq; cunabula, altioresq; illorum penetrandi sinus: euiscerandi sunt montes, atq; intra penitiorem magnæ parentis aluum iniuriosè fodiendum. Si æquè accessa essent illustria pigerimis homulis, ac viris industrijs, quid cederet discriminis inter virtutem, quæ difficultate nutritur, & stoliditatē, quæ fouetur inertia? Quomodo distingueres à vulgaribus Heroes? Concedendum est Auditores in Sophoclęam gnome, necesse .s. esse elaborare volentibus fortunatos esse; quoniam ex Epicarmi obseruatione, omnia Dij mortalibus nobis vendidere pretio laboris. Proprietas Diuinitatis est inconcessa viris, assequi maxima extra sudorem. Et quidem hoc prouidētię puto consilium; Aequissimo quippè Deus munera dispertiēs arbitrio, beneficiorum suorum indignatur spem arridere torpenti: & ideo bona omnia difficultate vallauit, vt solo laboris impendio eadem mercareris. O iure! ò merito! Sic .n. laude discernes ab Iris Hercules, à mollibus fortes. Adhæc, nihil pro magnifico reputatur quod facile sit obtentu. Vilescit totum quod

Apud Stob.

licet, cum ſine labore ſpernantur inuenta. Aeſtimantur verò ſolum elaborata. Vis hoc atteſtantem, atq; adeo definientem Arbitrum?

Petroni' Arbit.

Ales faſiacis petita colchis,
Atq; afræ volucres placent palato,
Quod non ſunt faciles: at albus anſer,
Et pictis anas enouata pennis
Plebeium ſapit.

Ità quidem, quia vicinum habent vltrò permiſſa contemptum.

Exiuit dudum ex Epicureorum proſtibulis, Sybaritarumq; fornicibus euulgatum hoc profana loquacitate dictum, quod noſtrum ad vſq; æuum deriuatio ſera traduxit: hoc eſt, à turpi voluptate expectādam beatitudinem. Proh pudor, inuerſiq; mores! O ineruditæ linguæ portentum! Accurrite vos agmine toto Academiæ, Lyceiq; alumni, qui in ſola virtute felicitatem aſſeritis. Et tu quoq; Stoici pudoris cultor Seneca, qui non ſemel clamaſti, ſummū bonum eſſe, & ſolum, quod honeſtum eſt. Indicite vos ſilentium impuro ori, cuius vel ipſe ſpiritus impurus redolet fætorem audientibus. Satis tandem, ſatis ſit datum hac voce flagitio, & quod nec ſine quidem ſcelere cogitat, erubeſcat impudentia (ſi poteſt) eodem purgatas aures inficere. At ſi inconditæ plebis infremat vulgus, & ſe velit falſiſſima opinione ſecurum, cum nullus ſit diſſuaſioni locus, vbi ſine lege petulca ſtrepit impuritas, concedamus ſemel, Auditores, inelegantem voluptatem felicitare, quòd quamuis periculum contrahendi ruboris incurrimus, cauſæ tamen ſuſceptæ non periclitabitur perſuaſio. Nam nuſquàm improbiori opus eſt labore, quàm vbi mendicabi-

gatur voluptas. Ad testimonium cito præterita iamdiù fæcula, quæ vnius ob libidinem, immensi laboris occupatione diù iacuere fessa, quæq; ad extremum vsq; debilitata spiritum, vlteriori status duramento non suffecerunt, Troianorum fæcula loquor. Ille Paris iam mundo famosus infamia, in Graiæ mulieris raptu se suæ cupidinis sperabat vastitatem implere. Imperauit idcircò libidine præceps sperata voluptas expeditiones in Græciam: & minimus, qui præuideretur sufferendus labor, fuit viduati Regis, violatiq; Regni sustinere vindictam. Priùs fuit alterius Imperij præuisum excidium, quàm infandæ voluptatis, vel solo voto iniuisse possessum. Quàm pretiosa voluptas, quæ vnius Regni emitur pretio! O' Deus, quæ voluptas est, quæ felicitas, anxiè quæritare quod non assecuti dolebimus, quod timebimus, ne perdamus adeptum? Quod ad rapiendum sollicitat, quod cum rapuerimus, est raptui obnoxium? Vbi est illa securitas promissa felici? Miserũ ita felicem, qui postquam euanuerit fumo citior saturata voluptas, nil retinet felicitatis, nisi fel. Quod si quis subderet, se suæ gnarum mediocritatis, non affectare Lædas, non rapturum Helenas, neq; si qua est, aliam laudati vultus Ariannam appetere, sed in vulgari voluptate conquiescere; repetam ipse statim, illum adhuc ad peringentem mortalium laborum tolerantiam præparari cogendum. Etenim plebeijs etiam voluptatibus districtiori cura inhiat Populus, quas aut violenter infrænis vsurpat, aut, si id nequeat, ipsis tamẽ inhæret custos impigerrimus. Nihil ita obseruatum offendes, vt popularem voluptatem, cuius plerumq; fructum cum vulgo rixa frustratur. Miseriora referrem, nisi pude-

ret me isthæc dicere, vos itẽ audire: nisi timerẽ ne detestata etiam obscænitas contemeraret memoriam.

Adeamus, quæso, Viri, de felicitate consulturi mente saniores: adeamus Platonem, qui in veri vestigatione nihil est, nisi Diuinum sentire solitus. Huic definitum fuit, felicem illum esse, qui gloria apud homines excellat. Age, sit, vt vult Plato: Si tamen credis ita docendo, laborem excludere, obluctor. Sic. n. sterneret Plato, non strueret felicitatis Asylum. Sit, inquam, in gloria felicitas: Quid autem gloriæ potest sibi parare sepulta illa segnities? Gloria inglòria est, nisi pro illa sit laborandum, nec talem exoptarem, & ego cum Zenophane, quia mox inuidorum arbitrio mutanda sit in probrum. Furit sanè vbiquè inuidia, sed ibi molestiùs, vbi honorem spectat oculata fortuitum. Solus est ab inuidia labor immunis. Solus est ad gloriam labor ascensus, cũ non sedent obuios passim inexpectati honores, sed difficiliùs, quàm ex Hammonis fonte hauriatur aqua, à liuentis iniustitiæ tenacitate sint extorquendi. Hinc videris ad veræ glorię Tarpeios per laboriosum belli molimen, per summi laboris vires, fessos, ac vulneratos sæpiùs subuectos Cæsares; nec enim assolent, nisi inter sudorem, & sanguinem, fructicare palmæ triumphorum. Etenim.

Iuuat ire periclis ad decus,

Silius. Et sanè

Boet. *Herculem duri celebrant labores.*

Ad celebrati nominis granditatem sustolluntur solùm, qui in scientiarum areola viuaci sudorum humore irrigant gloriosas Laurus, quæ in famę postmodum perennitatem virescentes, tandem contexuntur in serta.

Audi-

Audiuerit fortassis grauitas vestra Auditores, dicentem in natalium nobilitate, maiorumq; in attritis carie imaginibus felicitatem consistere; proindèq; satis sibi felicitatis, satis sibi bonorum relictum à Patribus. Si vobis placeat, Domini, concedite hoc ità loquenti. Mihi quidem semper visa est sors inuidenda, ex originis splendore primæ lucis traduxisse diluculum, & in ipsis cunabulis sine merito meruisse reuerentiam. Curiosioribus tamen nobilitatis arbitris, in iniuriam inertium non collibet illos felici Parentum cooptare collegio: factoq; iudicio hoc dant inertiæ supplicium: volunt, vt in dedecus enarrantis sit patria facta memorare; aut, si otiosus suorum facinora inuerecundè laudaret, ipso dicto, decernunt aduentitiæ nobilitatis exhæredari. Nostis, quàm iuuet parùm adulterino stemmate Auorum imitari nobilitatem: quàm parùm intersit, Antecessorum semper laudatorem audiri, nisi proprijs in operibus, in suis quisq; laboribus collaudetur. Non æstimantur nostra, quæ nos non fecimus. Noster est honos, qui nobis post meritum vti debitus restituitur; alienus, quem postquàm acceperimus, adhuc nobis restat laborandum, vt mereamur. Error est naturæ, si nobilis (Ignaue) nascaris. Glorieris igitur te esse errore felicem? Labora, vt videaris meruisse natales illustres, errantisquè naturæ culpam laboribus emendasse. Qui tuorum tam frequens excellentiam euulgas, & nihil profers à te factum egreglè, euita Senecas, fuge Tullios, declina à Marijs. Primus iactanti tibi insultabit, nihil stultius esse, quam te eo tibi placere, quod non feceris. Obiectaret ita secundus: Tu tuis vita, quam turpiter agis, magnas offudisti tenebras.

Senec. Epist. 74.

Cicer. in Salust.

Marius apud Salust. Exprobraret vehementiùs tertius, eò flagitiosiorem esse tuam ignauiam, quò tuorum fuerit vita gloriosior. Si cupis tuorum clarescere meritis, fac, ne illorum sis tu dissimilis; quia non congruit decus idem disparibus; nec est nobilitatis argumentum, Atauorum virtutibus degener sanguis. Si vis hæreditaria colluſtrari virtute, eſt aliquid virtutis addendum hæreditati, quoniam cumulantem ſe ſe illuſtrat ſolum patrius ſplendor. Et certè tam indecorum creditur, ignauos filios vetuſtam Genitorum antiquare celebritatem, quàm reputatur honeſtum, recenti virtute naſcituris inchoare nouiſſimam. Fac ergo tu quoquè; quòd ſplendidè factis hæret vera nobilitas, ab hac verò parùm felicitas abeſt. Recenſeant alij alias de felicitate ſententias; omninò nobis omnes ſuffragabũtur; omninò non erit ſine labore felicitas.

At quid coner vltra ſimilia prò labore diſſerere, ſi pleniori rerum obſeruatione grauiora diceretis vos, qui in antiquitatis annalibus frequẽtiùs obuerſamini? Diceretis non modò bonorum extremo frui laborioſos viros, ſed ſupra communem felicium ſortem, in Cælitum etiam adoptionem electos. Sic Hercules, ſic Neſtores, & id genus alios laborum tolerantiſſimos in Deorum Senatu conſecratos, eiſq; in Cœlo regendi mundi deſtinatum officium. Et ne quis obijceret, hoc de adulanti fabularum fictione veniſſe; præter apologos, demonſtraretis etiam, laborem Diuinitate rem dignam habitam ſemper. Quis in laboranti viro negaret deitatis veſtigium, ſi ad Platonis pedes prò ſua laborantis Republica idolatram conſpexiſſet Dionyſium? Tyrannis neſcia Diuinitatis nouit adorandum laborem. Labor Prothogenis

erum-

erumpentem in Rhodum populaturum Demetrium, nonne compeſcuit ita, vt putarit ſacrilego temerari reatu, niſi in illius picturæ miraculo Vrbi pepercisset? Plut. in vita Demetr. Sic laborioſa certamina Pindarico decãtata plectro, in Thebarum perniciem ruenti Alexandro perſuaſere clementiam. Sic immaniſſimus Tyrannorum Phalaris Steſichori labores in templo reuerẽdos expoſuit. Sic ſexcentis alijs erecta delubra probant, operoſos homines ad Diuinitatis, vſq; æſtimationem conſcendiſſe. Quis neget ergo id præſeferre diuinum, quod quadam maieſtate prænitens, tot impios fecit ſe reuereri pietate?

Interogaretis rurſus; quis vltra ſtatas mortalibus metas, vltra, inquam, Gades excurſauerit illex? Reſponderetur, Labor. Quis inuictam naturæ deuicit inuidiam, quæ mirabiliora ab hominum remouens vſu, viſuq; vel interfuſis diſterminauit æquoribus, vel inhoſpitum interſtitio terrarum abiunxit? Labor, qui inuitis quibuſuis obicibus, omne ponit ſecretum in publico, omneq; dat obtineri prohibitum. Hi cuius ſunt conatus? Alicuius certè, quod nullis naturæ iuribus aſtringatur. Interfluentis item Oceani inexhauſtas vndas ſæpius exuſiſſe, & per liqueſcentium illius viarum diſcrimina tutò tranſijſſe: montes in imas deieciſſe valles, valleſq; ad ſumma montiũ ſublimaſſe cacumina, cuius sũt facta? Omnipotentis laboris. Hęc etiam ſunt inter minima illius molimina, ſi menti ſuccurrat primi ſæculi Gigantũ audacia. Illi commeatum expedientes ad Cœlum, non per Olympi ſemitas, ſed per extructam turrim æthereos receſſus peragrare confidebant; & ſi illorum tentaſſes animos, nouiſſes auſos, Cœlum imperuio licèt interuallo diſcretum,

com-

commiſcere terrenis; aut mortalibus velle immorta-lium continuare rempublicam. Et niſi ſabula minueret veritati fidem, commemoraſſem recentioris ætatis nõ minùs per laborem audaces Perſeos, Orphęos, cæteroſq; qui per inuia telluris arcana nondum conſcia callis gloriati ſunt, ſe ad vſq; tartara permeaſſe, Indèq;(quod opus, & labor eſt) violatos manes ad interdictam lucem ſecum ducentes, ad ſuperos reuocaſſe gradus. Quid, quod non poſſit labor? Vidiſtis, vt promptivenıant in diſcrimen omne laboris auſus? Vt fidentiùs ſecuri, omni difficultate grandiores, nullo vellint inpoſſibilitatis nexu conſtringi? Impoſſibilitas non intrat, vbi labor occupet locum; non terret difficultas, vbi labor aſſiſtat. Quid hæc? Non dubia omnipotentiæ ſigna produximus.

O ſi veſtram hìc vos Theologorum Myſtæ ſubſignari velletis auctoritatem! ſuis forſan clauderetur punctis abſoluta contentio, albiſq; fortè ſapientiorũ calculis approbaretur. E differatis, exobſecro, quæ vis, quis vigor ſit in contemplandæ diuinitatis negotio, quænam ex illo felicitatis fonte corriuantur ſpeculanti delitiæ. Non ſanè contemplantem animum retardat interiecti loci tractus immenſus, nec ære duriores obſiſtunt obuiantes cæli, neq; tandem occurrens exanimat aſcendentem multiplex infinitudo, quin intra Deitatis latibula ſeſe totum inſinuet. Eo autem dignatus acceſſu animus, quid non grande pertentat? minor cæteris illius nixus eſt, immenſitatem velle Metiri, anteire æternitatem, & ſubſequi; nondum comperta ſatis explorare ſecreta; & complicato quaſi velamine, quo viuenti celatur, inuiſibile contueri. His grandeſcit auſibus, his cælitũ aſſueſcit

fer-